



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,  
 DE  
**ADYNAMIA**  
ARTIS MEDICÆ IN SENIBVS,

QVAM  
 RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
~~PRÆNOBILI, CONSULTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,~~  
**DN.D.HERMAN.PAVLO JVCH,**

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE, PA.  
 THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.  
 SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.  
 AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.  
 NAT. CVRIOS. COLLEGA,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE  
 IN PER-ANTIQUA HIERANA

GRATIOSE INDVLGENTE,

*SVB PRÆSIDIO*

**NVMINIS ALTISSIMI,**  
**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES, PRIVILEGIA

AC IMMVNITATES

RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET,

AVCTOR RESPONSVRS

**MICHAEL FRIEDER. LIEFMANN,**  
*Budissa-Lusatus.*

---

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.  
 DIE XXVI. SEPTEMBRIS, M DCC XXXVII.

---

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad.Typogr.

DISSESTITIO MAGISTERIALE MEDICARUM

DE

ADYNAZIA  
ARTIS MEDICAE IN SEMINARIO

RECTORIS UNIVERSITATIS MAGNIFICO

DUDHOMIANI PAULODUCHI  
SACRIS SANCTIS QD AGRARI CONSULTA MEDICALE SEMINARIO  
JONATHANUS DUDHOMIANUS ET SEMINARIO SEMINARIO  
DUDHOMIANUS ET SEMINARIO SEMINARIO

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE  
IN PRACTICIS AVTHORVM  
CAGIOVIA DEDICAVIT

NUMERIS ALTISSIMIS  
PRO LICENTIA  
AC  
TITULIS COMMUNIBVS SEMINARIO  
MICHAEI HIRNIUS THOMAS

ET  
SALVATORI TYPIS LIBRIS  
AC  
SALVATORI TYPIS LIBRIS



DISSE<sup>T</sup>ATIONIS IN AVGVRALIS MEDICÆ  
DE  
**ADYNAMIA**  
ARTIS MEDICÆ IN SENIBVS,  
PROœMIVM.

**H**x quo detestanda peccatorum lues  
scelerumque nefandæ fordes, post  
tristissimum primorum parentum  
lapsum, genus humanum inquinâ-  
runt ac defœdârunt, insimulque  
ordinaria illorum præmia & consectaria, mor-  
borum nempe furiæ, miserum corpus innu-  
meris modis à prima generatione ad ultimam  
usque sui destructionem excruciare, vitæque  
ac sanitati inevitabiles struere insidias cœpe-  
runt,

A 2

runt, illico mortales, si non immortalitatis, tamen longævitatis cupidi, omnes suos eo maxime intendebant nervos, ut machinam illam æque fragilem ac artificiosam, spiritus nempe sui rationalis domicilium, ab injuriis atque periculis quotidie ipsi infensissimis non solum defendarent, sed & insuper in integritate perfecta quam diutissime conservarent. Operosius hinc, omni ævo in indagandis & excogitandis aptis ad finem istum obtinendum remediis desudare coacti sunt indefessi illi artis Poeconiae ministri, Medici inquam, nulli tamen eorum id adhuc contigit felicitatis, ut de invento & revera acquisito aliquo medicamento ad longævitatem gloriari potuerit. Ad nauseam usque sane jam notum est, quam sæpe *Panacearum* & *arcanorum ad vitam prolongandam* ostentatores, suis sibi chimæris applaudentes, publico risui se suamque medicinam exposuerint, dum nec sibi, nec aliis præstare valuerunt, quæ promiserant, quorum tamen gaudia, nisi publica inde pericitaretur salus, vix ullus prudentiorum Medicorum idcirco turbaret. Sic, ut unum saltē alterumve proferam hujus census exemplum,

plum, GEBERI Arabis rubrum elixirium quin-  
gentos spondet annos; PARACELSI tinctura  
philosophica in agone mortis certam pollicetur  
salutem, qui etiam in Hellebori nigri foliis idem  
quaesivit remedium, sub cuius usū nullum ante  
annos centum & viginti mori posse audacter  
adseverat. Similem efficaciam in rore quaesi-  
vit TACKIVS, in salvia FIORAVANTA, in am-  
bra grysea CRATO. Pariter quoque occultum  
vitæ cibum ex aère congelatum prædicat CO-  
MOPOLITA, aviculam Hermetis catholicam  
RHVMELIVS, aquam benedictam paradisia-  
cam HOLLANDVS, ut alios, similia secreta ja-  
ctanter crepantes, silentio præteream, in primis  
cum jure meritoque dubitem, an fidem ali-  
quam inventuri sint, GALENVS, qui Pytha-  
goram acetii squillitici familiari usu ad 117. annos  
incolumem produxisse scribit, *de medicam. fa-*  
*cile parabil.* Lib. III. num. 205. RANZOVIVS,  
qui Tr. de conserv. valetud. cap. 27. Marcum  
Gallum, Caroli V. Cæsaris Medicum aquæ vi-  
tæ cujusdam beneficio annos 124. vixisse, ac  
Hieronymum Brunsvicensem, ope tabulati cu-  
jusdam, ex Rhabarbaro & aromaticis compo-

siti, cui maxime adsvetus fuit, ad annum ætatis 110. pervenisse refert; & FABRICIVS ab Aquapendente, qui sibi aliisque firmiter persuadebat, quotidiano fere usu Pilularum ex Aloë rosata paratarum factum esse, quod vegetus sanusque ad supremam usque senectutem duraverit. Pudet omnino tot fructuum vanæ jactantiæ meminisse, quibus quotidie contaminatur Medicina, nec unquam felici successu impleta est promissorum fides.

Facile autem exinde cuilibet patet, quod, dum veris adhuc destituimur remediis, longævitatem promoventibus, multo minus talibus instructi esse queamus, quæ tollendis & abigendis ordinariis illis sénilis ætatis incommodis sufficiunt, hancque vel in vegeto sanitatis statu conservare, vel morbis qualibuscunque oppressam iterum abinde liberare valent. Quanquam enim plurimum virtutis in multis remediis latere nemo temere negaverit, saepiusque ars nostra salutaris tam ad mörborum præoccupationem, quam eorundem curationem, multa, pro intentione Medici, valeat; ultro tamen fateri cogimur continuoque rerum usu edo-

edocemur, quod, licet artis regulas & præcepta habeamus, quæ crebrior observatio & experientia dictitavit, quorumque recto usu & prudenti applicatione sæpiissime sanitas & conservatur & restituitur, nihilo tamen minus non raro in hoc vel illo individuo, omnium autem frequentissime in *senibus*, citra ullam etiam artificis rite agentis culpam, curatio caute atque sollicite suscepta frustretur expectationem. Cum ergo maxima pars ægrotantium, in primis autem *senum*, longævitatem anxie voventium, tantam esse artis medicæ potestatem falso sibi persvadeat, ut ejus beneficio omnis fere generis morbi semper cito, tuto atque jucunde profligari queant, eaque propter omnia à Medico postulare non vereatur, illum vero, qui ineptis ejusmodi desideriis minime satisfacere se posse ingenue profitetur, modo tacitè, modo etiam aperte ignorantiae, aut imperitiæ arguat: Hinc placuit, speciminis inauguralis loco, paucis *Adynamiam artis medice in senibus*, pro virium imbecillitate, adumbrare, causas ejus genuinas monstrare, sicque & Medicos, & artem, quam profitentur, ab inju-

injuriis istis vindicare. Faxit summum, quod  
veneramur, Numen, ut optatum plenissime  
consequar finem.

## §. I.

**A**liarum ad instar scientiarum & artium etiam medicam nostram artem limitatam esse, nec absolutam competere Medico potestatem in corpus humanum, quoad integritatis ejusdem conservationem & amissæ sanitatis restitutionem, rationi vel maxime consentaneum, & quotidiana experientia innumerisque exemplis multoties confirmatum esse, merito cum prudentioribus Naturæ mystis reputo, hoc tamen peculiare eidem esse præ cæteris artibus deprehendo, quod ordinariæ ejusdem operationes, à Medico rationali & christiano-institutæ, manifeste nunc adjuventur, nunc impediantur divinitus, prout nempe lubet Numini sapientissimo, in cuius manu sunt tempora nostra, cujusque libro inscripti omnes dies nostri, quotquot eorum futuri sunt. Hinc etiam, eo usque limitatam esse à Deo Medicorum potentiam, tantum abest, ut ipsis qualecunque in dedecus vergat, ut potius summo sibi ducant honori, talēm se exercere artem, cujus opera legitime suscepta, immediato quasi concursu moderari soleat ipse supremus rerum arbiter, utpote qui immensam suam sapientiam in formatione artificiosissimæ humani corporis machinæ potissimum demonstrare, Medico autem nonnisi scientiam, eandem

eandem ad tempus conservandi & integritati ejusdem prospiciendi, clementissime concedere voluit.

§. II.

Sive ergo solidarum partium texturam & structuram sive fluidarum mixtionem respicias, nullam sane directam in illas medicæ arti relictam esse potestatem facilime deprehendes, adeo, ut ejus ope neque intimior singularum fibrarum primorumque staminum efformatio, coalitio & confirmatio, positive adjuvari, aut minimus etiam defectus directo actu ab eadem suppleri, neque humorum mixtio tam materialiter, suppeditando nempe particulas necessarias, quam formaliter, seu quoad ipsum talem actum, proximus produci queat. Sic etiam, licet sanguinis circulatio principale & potentissimum sit vitalitatis instrumentum, tantæque eandem dignitatis ac necessitatis esse deprehendamus, ut, si hæc actio lœdatur, omnes reliquæ specialiores vitales actiones necessario proportionate deficiant, aut de- preventur, minime tamen sufficientem & pro varia necessitate magis particulari, satis multiplicem, directam & pro suo arbitrio in necessarium effectum deducendam potestatem in hunc actum habet ars ista medica; quemadmodum quoque illa ipsa potentia admodum exigua, restricta & maxime remota appetet, tam in actu concoctionis, digestionis & ossimilationis alimentorum, seu universo nutritionis negotio; quam incorreptione vitiosorum humorum, tam quantitate quam qualitate peccantium, quoniam partim diætetica ordinaria consilia, ad obtinendam sanguinis superflui imminutionem directa, perquam difficulter observantur & in actum de-

B

ducun-

ductuntur; pharmaceutica autem nullius plane effectus sunt, nullamque idcirco fidem merentur; partim etiam *correctio* vera, intimior atque perfecta universæ humorum massæ, ad quam immediatus remediis non conceditur aditus, vix unquam unice horum ope adjuvari, nedum plenarie absolvi potest.

## §. III.

Cum igitur in genere jam jam ex his appareat, quam restricta sit artis medicæ potestas tam in vitalibus, quam naturalibus actionibus cuiusvis ætatis subjectorum, rite dirigendis, modificandis, aut excitandis, facile utique concludere exinde licebit, eandem adhuc magis limitatam, perqvam exiguum, imo fere nullam esse in senibus, qvorum ætas vel propterea qvibusdam non immerito mala audit, qvoniam juxta SENECAE effatum, Lib. 3. Quæst. nat. plurimis gravissimisque exposita est accidentibus: Tunc enim ordinarie vires & corporis & animi indies deficiunt, sensus hebecunt, membra pristino suo robore destituuntur, actiones omnes, pro sanitatis conservatione necessariæ, torpescunt, morbiq; catervatim ingruunt, sicque in nulla omnino ætate, si infantiam exceperis, corpus imbecillius deprehenditur, nec in ulla major observatur artis medicæ *adversaria*, ac in ipsa hac senili.

## §. IV.

Intelligimus autem h. l. sub *adversaria* vocabulo illum potissimum artis medicæ statum, ubi in & sub morbis, senilium in primis subjectorum, tam curandis, quam præservandis, Medicus vocatus, læsiones præsentes earumq; causas, vel nullo profus modo per artem ac convenientissima remedia tolere

Iere & removere, vel ad minimum non in totum auferre valet, adeoque si etiam forsitan paulo tolerabilior evadat ejusmodi subjectorum conditio, vix tamen unquam integra ac durabilis sanitas succedit, quin potius palliativa saltem restitutio, Naturæ magis, quam medicamentorum beneficio, obtinetur.

## S. V.

Sub *senum* titulo dein non tam illos, qui in genere ad ætatem senilem pervenerunt, sed qui molestias & incommoda ultimæ hujus ætatum periodi gravius persentiscunt, magisqve inde affliguntur, intelligimus, parum curantes, an in *viridi* aut *media* *senecta* tales constituti sint, qui idcirco olim ἀμολέοντες, πρεσβύτεροι, aut πρεσβύτεροι vocabantur, an vero ad ultimam & decrepitam *senectutem* jam jam pervenerint, qvos alias γέροντες vocare solebant: Notum enim omnino est, sat multos etiam passim occurrere senes, qui à prægressarum ætatum justo atque vere sano robore ac usu, ad hanc etiam ætatem afferunt atque ulterius conservant ita egregiam activitatem omniumque ad sanitatem necessiarum functionum vigorem, ut ad septagesimum, imo & octogesimum usque annum, non solum vere dicendis morbis non magis obnoxii, sed & viribus fere æqve adhuc pollentes deprehendantur, quam qvalescunqve juniores, robore non peculiariter excellentes atque eminentes, ut proinde cum Calebo, Jos. XIV. 10. II. exclamare queant: *Ecce!* ego hodie natus sum octoginta quinque annos & adhuc hodie robustus sum, ut quo die misit me Moses, sicut vires meæ tunc fuerunt, ita etiam eadem nunc sunt ad bellum, &

B 2

ad

ad procedendum atque veniendum; vel cum centum vingtî annorum *Mosè* gloriari, *Deuteronomium*. XXXIV. 7. quod non caligaverit oculus, nec fugerit viriditas ejus; aut cum *Leontino Gorgia*, centesimum septimum agente annum, referente *CICERONE* in *Catoni*. maj. p. 543. aperte fateri: *Nihil habeo, quod incusem senectutem;* cum *Cyro*, tandem moriente prorsus negare, imbelliores se fuisse senes, quam fuerunt juvenes, vid. *XENOPHON* in *Cyropaed.* nec non cum *Julio Asynio* de se testari:

*Nonaginta annos baculo sine, corpore toto  
Exegi, cunctis integer officiis.*

Horum enim, aliorumque iis similium, sobria & prudens adolescentia effoetum corpus senectuti non adeo cito tradit, eaque propter omnino etiam medicæ arti major in illis concedenda est potestas, quam quidem in reliquis senibus, qui vel prægressarum vitæ periodorum nullam rationem habuerunt, vel ipsius etiam adhuc præsentis nullam amplius habent, adeoque notabili pristinæ alacritatis defectu laborantes, nimiani tam corporis, quam animi imbecillitatem, infantili ætati non absimilem, monstrant, utpote de quibus unice in præsenti tractatione sermo nobis erit.

### §. VI.

His ita ratione acceptiois vocabulorum prælibatis, ante omnia ad causarum illarum indagationem progrediendum erit, quarum nempe intuitu nullam fere arti medicæ in senibus, præcipue magis decrepitis & langventibus, relictam esse potestatem judi-

judicamus, qvæ sane unice ex alterata oeconomia corporis constitutione petendæ ac derivandæ erunt: Licet enim quidam nullas plane ejusmodi causas in omni Naturæ ambitu reperiri audacter adstruant & adfirmant, negentque illa ratione comprehendendi posse, cur id, quod durare ac vivere tot annos possit, non semper vivat duretque, cur id, quod per quadraginta & plures annos, tam propria sua energia, quam medicamentorum ope, noxas avertere & damna reparare novit, inter eadem vitæ pericula id tandem ignoret? merito tamen dum stirpium, imo lapidum marmororumque longe firniorem compagem ætate destrui, ac generationum & corruptionum mutuas vicissitudines totum hoc universum implere deprehendimus, utique non mirabimur, partes corporis nostri adeo caducas ac in putredinem sponte vergentes, ita tandem alterari atque corrumpi, ut nulla arte, nullisque medicamentis naturalis earundem crassis, textura & integritas restitui queat; adeoque minime à veritatis tramite aberraturos nos esse confido, si cum doctissimis viris, Illustri nempe de BERGER, *Disserr. de vita & morte*, HOFFMANN O Medic. *systemat.* Tom. II. p. 54. SCHACHTIO, *Orat. de senili fato ex corporis mechanismo*, & M. G. THALHEIM, *Diss. de mechanica moriendi necessitate*, causas sicuti mortis inevitabilis, ita & Adynamiae quasi absolutæ artis medicæ in senibus, in ipso corpore earundem latitare statuemus.

## §. VII.

Minime equidem negare placet, quod, si in primo innocentiae statu primi nostri permanissent parentes,

B 3

omnino

omnino vinculo isto partium usque adeo fragilium & ad subeundam per se firmiorem quandam mixtionem prorsus ineptarum, ex quibus corpus nostrum divina arte coaluit, perennitas accedere potuerit, quæ certe Adamo & Evæ, peccati labe nondum infectis, speranda fuisset; licet incertum adhuc sit, utrum saltem congeneritarum virium præsidio, aut annon potius novarum accessione, evenisset. Ast hoc quoque nunc perquam probabile cuilibet apparere confidimus, quod cum ipso peccato æquilibrii internarum partium magis everfa & sublata sunt præsidia, atque cum amissa divina imagine insimul sapientia, intus forisque corruptionum causas avertendi, perierit, imo & ipsa postmodum, quæ antea saluberrima erant, remedia, inter spinas & carduos, ex maledicto terræ sinu, longe debilioribus viribus instruta, progerminaverint. Hinc liquet, quod non solum corpori ad interitum jamjam inclinanti, parum omnino auxilii ferri queat, sed & illa remedia, quorum ope sanum adhuc viribusque sufficenter instructum corpus diu aut constanter forte conservari posset, alta ignorantiae nocte sepulta jaceant, imo nec amplius investigari queant.

### §. VIII.

Ante omnia igitur nunc conditio motus vitalis, ab actione musculosa cordis & secretoria cerebelli potissimum pendens, unacum variis illis mutationibus, quas in corporibus dictorum senuum producit, attentius paulo consideranda erit, quoniam ille mediatam in primis causam ortus & interitus nostri præbet, omnia tam in prima formatione, quam ultima destructione corporis.

corporis occurrentia fata, eoque concurrentia media dirigit, ejus ope crescimus, conservamur & decrescimus, ipsiusque artis medicæ potestas & remediorum qualiscunque efficacia magis omnino adjuvatur & promovetur, quam per obscurum illud antiquorum calidum innatum, humidum radicale, flammulam vitalem & centenas alias olim in scholas Medicorum introductas chimæras. Notum enim, imo notissimum est, quod singuli illi canales, per totum nostrum corpus distributi, ex peculiaribus constent membranis, quæ si accuratius & attentius lustrantur, novam iterum exhibent vasorum, ex quibus contextæ sunt, congeriem, quorum latera dein similis canaliculorum minimorum structura fulcit, ita ut, post longas demum, decrescentium vasculorum series, ultima horum non amplius texturam talem vasculosam, sed mere fibrosam monstrent; & hæ ipsæ fibræ prima quasi elementa, sive stamina totius corporis constituunt, quorum puncta contactus, dum modo latiori, modo acutiori superficie inter se cohærent, & virium externarum actione atque impulsu inter se varie complicantur, diversos dein flexibilitatis & rigiditatis gradus producunt, ita ut, quo intimer est ille minimarum partium nexus, & vegetior causa ad nexum istum impellens, eo rigidior fibra evadat, moventisque subjecti impetu magis resistat.

## S. IX.

Porro etiam ipsis Medicinæ tyronibus jamjam constat, fluida corporis nostri, quæ intra vasorum caniculos detinentur, secundum decrescentem horum diametrum pariter tenuitate viribusque differre, omnia tamen

tamen sub motu cordis systaltico in vasorum suorum latera vegete impelli, & horum dein æquali renisu per totum corpus propelli & circummagi, tandemque per actis reliquis à supremi conditoris sapientia determinatis functionibus, omne id, quod effoetum & resolutum est, ope progressivi istius fluidorum motus segregari & eliminari, quod vero dictis hisce functionibus subvenire potest, recipi, foveri & convenienter applicari. Dum autem sic per majora vasa transiens sanguis quolibet momento horum latera premit atque distendit, hæc ipsa vero pariter ex vasculis tenerimis, liquore suo repletis, constant, sive motus iste ad extremos decrescentium vasorum fines continuatur, necesse omnino est, ut vascula illa minima, quibus vis ista, externe sub renisu premens, perpetuo incumbit, sensim sensimque comprimantur, liquido suo destituantur atque in unam tandem fibram coalescant, eadem prorsus ratione, qua & alia majora vasa, v.g. umbilicalia, si continuus per illa progressus humorum amplius fieri nequit, successive obliterantur.

## §. X.

Cum ergo sic monstratum sit, quod in impulsu fluidorum, vasorumque renisu omnis vitalis motus consistat, facile utique exinde quilibet concludere potest, gradum hujus impulsus haud unum eundemque in omni ætate existere, sed pro harum differentia etiam proportionate distinctum observari. In prima enim ætate ordinarie prævalet fluidorum impulsus, qui teneriora vascula, parietes eorum subinde magis distendendo, ad incrementi sui extremas limites

limites perducit. In secunda dein ætate satis exactum inter fluidas solidasque partes observatur æquilibrium, viresque sibi invicem pares sunt & cum quadam actionum nostrarum constantia conjunctæ; in tertia vero & ultima ætate solidorum vis, iterum major est, ob fibras copiosiores sensim ex tenerimis va sculis coalitas, unde canales, fluida nostra vehentes, cum actionum nostrarum notabiliori diminutione, horum impulsui magis obnuntuntur siveque naturalis totius oeconomiae vitalis status successive invertitur tandemque ad interitum plenarium machina nostra artificiosissima iterum disponitur.

## §. XI.

In hoc itaque auctiori solidorum motu, qui fibras rigidas reddit, vasorumque angustiam & constitutionem inducit, recte omnino SANCTORIUS celerioris senectutis & succedentis tandem mortis causam posuit, sicut & nos haud minori jure abinde magna ex parte adynamiam artis medicæ in senibus de pendere existimamus. Dum enim à summa fibrarum molitie, in infantia conspicua, per necessarios earum coalitus, denique progressus fit continuus ad summam duritatem, facile omnino exinde liquet, cur in senili corpore, præter rigidas & inflexiles fibras, vix cultro dissecandas, aut coctione emolliendas, ne quicquam fere conspiendum sese præbeat, saepiusque in senibus arteriosi pariter & venosi canales, imo ipsæ viscerum membranæ, substantiam eorundem investientes, cartilagineam osseamque naturam induisse deprehendantur. Sic Regner. de GRAAF refert in A. N. C. Dec.

C

I. Ann.

I. Ann. I. Obs. 127. se arterias carotides aliquando ita induratas in annosa muliere offendisse, ut externa facie calculosas, sive in lapideam substantiam mutatas eas judicaverit. Pariter quoque Celeberr. RICHTERVS, in Progr. de Morte sine morbo, ex ore Christiani Vateri se accepisse indicat, quod in famigeratissimi illius Wittebergensis Theologi, Jo. Deutschmanni, qui octogenario major diem obiit, resecto post fata corpore arteria magna ad ilia usque descendens, fere tota ossea inventa fuerit. Venas itidem coronarias cordis, modo plane osseas, modo interius cartilaginosa substantia plenarie fere clausas, deprehenderunt FÜRSTIUS in A. N. C. Dec. II. Ann. X. Obs. 175. & BLANCARDVS, Anatom. pract. ration. p. 14. Membranam Lienis à pluribus osseam deprehensam fuisse scribit MALPIGHIVS, Biblioth. anatom. pag. 348. idque in senescentibus potissimum fieri notat BARTHOLINVS Anat. cap. 16. p. 159. Lienem plane osseum & cartilagine incrustatum, observavit RVDNICIVS in A. N. C. Dec. I. Ann. III. Obs. 58. Confer. Annales medico-phys. Wratislav. Tentam. XXXVIII. p. 679. & BONETI Sepulchr. anatom. ubi plura ejusmodi exempla occurunt, quæ simul assertum illorum, qui vulgo ita dictum *os de corde Cervi* non nisi pro arteria, marginem cordis circa ostia circumcingente, atque in summitate septi tractu temporis in osseam talem substantiam in Cervis adultis indurata, habent, magis illustrare & confirmare possunt.

## §. XII.

Proinde etiam rugæ in extremis partibus, maxime

xime autem fronte senum, tandem sponte apparen-  
tes, nullaque arte evitandæ, ut & calli in manuum  
volis pedumque plantis, ex assiduo harum partium  
attritu & compressione exsurgentes, dubio procul  
non nisi ex vasorum in duriores fibras concrecentium  
glomere constanr. Sic quoque interior ventriculi &  
intestinorum tunica, alias villosa dicta, quæ ordina-  
rie non nisi fasciculum expansum canaliculorum, ex  
substratis glandulis emergentium, atque, ut lympham  
ibi secretam digerendis cibis affundant, apertis oscu-  
lis in cavitatem horum viscerum hiantium., consti-  
tuit, licet in primo ætatis flore, omne, qvod ingeri-  
tur, alimentum tam copioso ejusmodi aspergat humo-  
re, ut statim resolvatur, ejusque lenissimis stimulis per  
singulas fere horas cibi capiendi desiderium excitetur;  
tamen ingraevemente senectute usque adeo mutatur,  
istique meatus ita obliterantur, ut & cibum per lon-  
ga intervalla fastidiant senes, & receptum haud sine  
molestia, nec unqvam plenarie digerant & in succum  
& sanguinem convertere queant, inprimis cum & vi-  
scerum reliquorum singulorumque colatoriorum orga-  
norum tonus & elater naturalis temporis diuturnitate  
ita immutetur rigidiorque simul existat, ut hæc ipsa quo-  
que debitas suas functiones convenienter peragere  
haud queant; hinc fit, ut male paratus chylus, qui, si  
laudabilis & nutrientis humoris indolem nancisci debet,  
prius per singula viscera novam subire mutationem  
neccesse habet, tanto magis adhuc virtutibus, quæ alias  
conferri eidem debuissent, defraudetur, crudiorque ac  
impurior ad reliquam massam humorum transiens,

C 2

hanc

hanc ipsam quoque inquiet, ejusque dyscrasiam, inse jamjam gravius invalescentem, magis adhuc adaugat.

§. XIII.

Liquet igitur exinde, quod præter hanc immediabilem & artis medicæ potestati viribusque medicamentorum absolute resistentem fibrosarum partium rigiditatem vasorumque successivam constipationem, in senectute absoluta quasi necessitate invalescentem, etiam aliud, nulla itidem arte expugnandum, nedum quadantenus præcavendum vitium in ista ætate emergat, humorum nempe viscida & mucosa dyscrasia, spissum eorundem lentorem inducens, & tam ipsius circulationis liberioris, quam continuæ se- & excretionis depuratoriae saluberrimos pro sanitatis conservatione effectus successive impediens tandemque plenarie supprimens. Dum enim non solum canales, per quos ad omnes corporis nostri partes sanguis unacum reliquis laudabilibus humoribus defertur, sed & ipsa viscera colatoria in senibus tandem obrigescunt, (§. XI.) hotumque pori arctius coëunt & ordinariam suam figuram, recipiendis ac transmittendis heterogeneis particulis convenientem, amittunt, dum insuper etiam cibi qualisque assumti, ob ventriculi & intestinorum invalescentem debilitatem, caloris naturalis defectum, & liquoris gastrici vappescentiam, vix unquam debite resolvuntur, (§. XII.) sed potius in cruditates viscidas atque mucidas saltem fatiscant, & sub hac forma ad universam humorum massam transeunt, dum denique minimorum vasculorum latera, ob imminutam fluidorum

dorum transcurrentium reactionem, naturali nisu prius ad se invicem accedunt, sensim compinguntur ac plane delentur, (§. IX.) sicque subtilissimorum humorum, in primis autem fluidi nervei, elaboratio & sequestratio prorsus fere sufflaminatur, ut tandem spiritus ad instruenda sensus motusque organa deficiant, & horum vigor magis adhuc imminuat; necesse omnino est, ut remanentes ita & coacervatae tam crassiores terreæ, quam salinæ acres aliæque heterogeneæ particulae intimius inter se coëcant, firmorem nexum struant, naturalem humorum crasis invertant, debitam fluxilitatem tollant, & fundamenta plurimorum graviorum ac pertinaciorum, optimis quibusvis medicamentis vix unquam auscultantium, morborum pónant.

## §. XIV.

Hinc est, qvod ejusmodi senes non sint sine querela, ut probe notat GORDONIUS Lib. XVI. de conservanda vita, quoniam nulla fere pars in iis perfecta amplius gaudet integritate & sanitate; qvodqve ipsam senectam morbum esse cum Phormione Terentiano Act. IV. Se. I. merito dicamus, & quidem tanto graviorem ac periculosiorem, quo magis naturaliter, & non violenter irrumpt, sed sensim & quasi sine sensu irrexit. Denotat id ipsum non solum nomen senectutis, utpote langvoris & calamitatis plenissimum, sed & aspectus totusque externus eorundem habitus, quo morientes vivos, aut viventes mortuos quasi repræsentant. Nares enim ipsorum communiter adparent acutæ, oculi concavi & caliginosi, tempora

C 3

collapsa,

collapsa, auriculæ frigidæ & contractæ, cutis circa frontem dura, arida & rugosa, color totius faciei ingratus; ex labiis dentes, si qui adhuc residui fuerint, septo suo destituti, vel prorsus denudati adpatent. Vox ipsis non amplius est clara, sed humiliis, tenuis, exilis ac rauca; collum attenuatum, longius & inæquale cernitur, ob majorem cartilaginis scutiformis protuberantiam; caput & humeri, utpote membra in juventute erecta, ita nunc contrahuntur, ut timidorum & meticulosorum ad instar incedere cogantur, imo quasi gibbosæ evadant, quoniam spina dorsi tunc contrahitur, corpusque incurvatum deorsum nutat, sicque perpetuo fere terram, omnium matrem, intueri coguntur, eamque requirere videntur, ut fessa membra gremio suo sovare dignetur.

## §. XV.

Sub misero & tristi hoc totius corporis senilis statu, quanta & quam innumera ejusmodi subjectis obveniant pathemata, cuilibet facile conjicere licet, & per experientiam quotidianam abunde jam liquet. Graphice satis admodumque curate, imo perquam mysteriose jam jam ærumnas istas delineavit Ecclesiastes XII. 1. -- 7. ponderosis his verbis: *Memento Creatoris tui, dum juvenis es, antequam veniant mala tempora, accedantque anni, quibus te delectari neges, antequam tenbrescat Sol atque lux & luna & sidera, redeantque post pluviam nubes, tum, quum domus custodes trement, & nutritabunt milites, & cessabunt imminutæ molæ, & caligabunt spectantes per meatus, & claudentur fores extrinsecus cum exili sonitu molæ, & surgetur ad avis vocem, & cassæ erunt omnes*

omnes musicæ puellæ. Quum etiam alta ē illis in via  
timebuntur, ē florebit amygdalus, ē convenient cicadæ,  
ē peribit adpetitus, discedente homine in æternam domum  
suam, ē circumeuntibus in vico lugentibus. Antequam  
abrumptatur argentea catena, ē quassetur guttus aureus,  
ē urna frangatur ad scatebram ē conquassetur ad fo-  
veam currus, redeatque pulvis in terram, qualis fuerat,  
ē Spiritus ad Deum redeat, qui eum dedit. Licet autem  
profus metaphorica sit hæc divini istius Auctoris de-  
scriptio senilium morborum, vix tamen opus erit, ut  
fusius in illam commentemur, præsertim cum Viri  
doctissimi celeberrimique id exactissime olim jam præ-  
stiterint, ex quibus potissimum nominari merentur Illi-  
lustris b. m. WE DELIVS in Exercit. Med. philolog. De-  
cur. III. Exerc. 3. VESTI in Diss. de affectibus senum Sa-  
lomoneis, Anno 1692. Erford. habita, HOTTINGERVIS in  
Biographia physico-sacra, IOH. SMITH, in Regis Salomonis  
descriptione senectutis, PRAVNIVS in physico-anatomica  
analyti Cap. XII. Ecclesiastis, ut alias complures ta-  
ceam.

### §. XVI.

Clariorem vero & simpliciter medicam mor-  
borum istorum recensionem suppeditat COUS noster,  
Sect. III. Aphor. 31. ita scribens: Senibus autem spirandi  
difficultates, catarrhi tussiculost, stranguria, dysuria, articu-  
lorum dolores, nephridores, vertigines, apoplexia, mali cor-  
poris habitus, pruritus totius corporis, vigilie, alvi & ocu-  
lorum & narium humiditates, visus hebetudines, glaucoma-  
ta, auditus gravitates. Cum vero saltem in compen-  
dio pathemata ista fistere annis fuit Divus senex,  
mul-

multos sane & perquam sonicos his superaddere possemus morbos, quibus itidem ob corporis constitutionem præcipue obnoxii deprehenduntur, vix tamen unquam artis medicæ & medicamentorum ope abinde liberantur senes, nisi temporis chartæque angustia id ipsum prohiberet. Sufficiet hoc saltem adduxisse, quod solennis ille in senibus occurrentes defectus æquilibrii inter solidas fluidasque corporis nostri partes, principale præbeat fundamentum his modo enumeratis aliisve compluribus morbis, maximum sistat impedimentum, debite iisdem medendi, aut unquam plenarie illos eradicandi. Exempli loco saltem jam nobis sint affectus illi, qui vitalium atque animalium tonicarum virium, seu elateris ad has actiones maxime necessarii, debilitationem aut plenariam exsolutionem præ se ferunt, *Apoplexia* videlicet, *Hemiplexia*, *Paralysis*, *Catarrhus suffocatus*, item *sonnolentia* nimia & profunda, imo plane veternosa, cum aliarum etiam virium vitalium notabili torpore conjuncta, & ætati huic præ omnibus aliis quasi magis proprie familiaris, quorum omnium curatio, licet in juniori ac vegetiori ætate itidem quoque perquam difficilis sit, tamen ob modo descriptam senilium corporum constitutionem, in ejusmodi subjectis absolute plerumque impossibilis est.

## §. XVII,

Similiter comparatum est cum irreparabili *dentium casu*, & inde pendente necessariæ masticationis defectu, nec non virium etiam in extremis corporis partibus decremento, ex manuum tremore genuumque ac pe-

pedum labefactatione facile dijudicando, quorum etiam insignis toni harum partium marcor pertinet, unde *cutis rugosa* & *toton habitus subsidendo flaccescens* deprehenditur; quin etiam *color de flore suo plurimum remittit*, & *jam pallorem*, *jam etiam maculosum*, *fulvum squarem*, nulla unquam arte emendandum, passim induit. Maxime omnium vero huc referendus est *Marasmus*, qui tanquam propriam hanc obtinuit possessionem, ut senili ætati præ omnibus aliis tribuatur, siquidem etiam revera vix ulli alteri periodo æque facile evenit, simulque potissimum in fluidarum æque ac solidarum partium absumtione, languore universalis, maximaque virium prostratione, cum macie extrema consistit, sub qua neque caput, quod plus justo ponderosum tunc videtur, nec reliquam molem, eidem subditam, servare possunt rectam; costæ evidenter omnes protuberant, ut numerari queant; ensiformis cartilago, sterno adhærens, incurvata sæpe apparet; scapulæ alarum, & claviculæ arcuum instar prominent, dorsique vertebræ longa serie omnibus conspicuæ sunt; abdomen ipsum adeo depresso atque collapsum conspicitur, ut nulla viscera nullaque intestina ipsi inesse credas, nisi forsitan *Hydrops* aliquando superveniat, illudque in p. n. tumorem attollat. Proinde etiam tunc musculi totius corporis pene consumuti apparent, ut nihil ex illis, præter fibras & cutem superpositam, remaneat; os coccygis caudæ in modum est exertum, clunes pendulæ, crura, brachia, pedes manusve, cum digitis, arida & exsiccata videntur, & circa articulos protuberantiae cernuntur, carnibus circa eas penitus absumptis, imo

D

totum

totum corpus tantum non pellucidum & transparens in quibusdam deprehenditur, ut cum Plautino illo Capt. Ad. I. Sc. 2. conqueri cogantur :

*Marcesco, consenescō & tabesco miser.*

*Offa atque pellis sum misera macritudine.*

*Neque unquam quicquam me juvat quodedo.*

S. XVIII.

Non solum autem graviores & propria sua indole admodum jam sonitici & periculosi tales affectus ordinarie omnem artis medicae elidunt potestatem Medentisque scientiam, sed & leviores alias minusque de reliquo suspecti, prout hoc in *Catarrhorum* exemplo evidentissime observamus, indeque facile ad aliorum quoque pertinaciam inque hac ætate potissimum se se manifestante in veram chronicam indolem concludere possumus : Illi enim ob virium se- & excretiarum summam debilitatem humorumque in crassi & mixtione plenariam depravationem , communiter usque adeo rebelles & refractarii sunt, ut non nisi cum vitæ tandem fine terminentur. Confirmat hoc, multiplici experientia edoctus, HIPPOCRATES, *Se&t. I. Aphor. 40.* ita scribens : *Branchi & Coryzæ in valde senescentibus non concoquuntur, hoc est, juxta explicacionem DIETERICHI Intr. Hippocr.p. 958. à natura non ad maturationem deducuntur, nec tuto medicis auxiliis tolli possunt : Humores crudii enim, ut paulo ante loquitur, coquuntur & maturantur, si corrigitur eorum acrimonie & rediguntur sub imperium Naturæ, ut possit eos à bonis separare & ejicere.* Talem autem acrimoniam salinam in hisce affectibus sufficienter monstrant arrosones narium fauciunque unacum

unacum sapore manifesto acri illorum, quæ expectorantur, quemadmodum coctio, seu ~~respi~~, in declinatione morbi tandem apparet ex muco pulposo minusque tenaci, qui tunc ordinarie rejicitur, quam tamen vix unquam senes experiuntur, sed absque illa, licet etiam diutissime duraverint ejusmodi affectus, plerumque moriuntur. Et hinc est, quod non inepte convivarum titulo eosdem insigniverit ORIBASIVS, quoniam viventes ejusmodi senes ad mortem usque comitantur, & nec dissolutionem, nec rarefactionem plenariam unquam admittunt.

## §. XIX.

Hæ ipsæ diurniores prorsusque invincibiles catarrales defluxiones in senibus proinde etiam in causa sunt, quod *sensus* quidam, in specie *gustus* & *olfactus* ordinarie tunc magis torpescant, ob continuum seroso-mucidi laticis affluxum, nares, linguam & fauces eximie enervantis, quemadmodum reliqui etiam sensus externi, *visus* nempe, *auditus* & *tactus* tam ob vigoris ordinarii in ipsorum organis manifestum decrementum, quam p. n. horum rigorem, pariter hebescunt. Si militer quoque comparatum est cum *internis sensibus*, ubi in primis solennis alias *intellectus* promptitudo, memoriaeque fides ac firmitas quam maxime remittunt, insimulque, dum omnibus illis defectibus nullum fere, aut saltem levissimum, & quidem nonnisi elonginquo, seu per indirectum, à Medicis praestari potest auxilium, evidenter satis commonstrant, quod prorsus extra sphæram activitatis & potestatis medicæ positi sint, in primis, cum nequidem consiliis, ut ut optimis, præca-

D 2

veri

veri tales animi nœvi queant, ut ita malæ illæ consecutiones, in cœconomiam corporis simul imminentes, præoccupatis his occasionibus, intercipiantur atque præservando quasi evitentur.

§. XX.

Tandem etiam singularis sese prodit in hac ætate defectus energiæ, aut activitatis vere nutritivæ, in resarcendis atque consolidandis violentis partium solidarum lesionibus, vulneribus nempe, ulceribus & fracturis, stractoriam quandam reparationem absolute postulantibus, utpote quæ in senibus ordinarie segniorem, imo sæpiissime nullam plane admittunt curationem, in primis cum & ipsæ repugnationes, in iis maxime necessariæ, quæque alias in junioribus non raro sponte optime procedunt, vix unquam ita expectandæ sint, adeoque, nisi externis artificiis tempestive & assidue succurratur, partes ita læsæ facillime ita deturpentur, ut vix ulla relinquatur spes vividæ spontaneæ reparationis. Licet enim ad nauseam usque cognitum jam jam sit, quod præcipua culpa vulgo hic rejiciatur in vappidam istam humorum in senilibus corporibus occurrentem dyscrasiam, revera etiam in totum non semper excludendam, multo minus ulla arte, sub rigido isto organorum colatoriorum statu, emendandam, per ipsam tamen experientiam sufficienter quoque liquet, quod etiam reliquis ad mundificationem tam spontaneam, quam artificialem necessariis requisitis optime sese habentibus, tamen accrementum, seu apparatus & successus consolidationis tardius omnino & languidius succeedat, quam in floridiore ætate. Quorsum porro illud pertinet,

tinet, quod post plenariam licet perfectamque talium  
læsionum restitutionem, admodum tamen familiariter  
senes singularem illam meteoricam, seu cum aëris  
qualibusunque mutationibus correspondentem reti-  
neant debilitatem ac sensibilitatem in partibus istis,  
novis tunc semper doloribus, sub ejusmodi mutatio-  
ne facile invalescentibus, stipatam, de qua Germani  
dicere solent: Sie haben einen Calender am Leibe be-  
halsten; quemadmodum etiam non raro violentæ ejus-  
modi, in juniori ætate jam jam percessæ læsiones, tan-  
dem in senectute memoriam sui admodum importune,  
& similibus doloribus in antea affectis partibus refri-  
care solent.

### §. XXI.

Ex his ergo omnibus, probe consideratis atque  
perspectis, cuilibet facile innotescet, qvod palmarium  
*adynamia artis medicæ fundamentum* unice in illa undi-  
quaque notoria imminutione, veroque decremento  
totius energiæ motoriæ, in vitali æque ac animali  
negotio, sublatoque æquilibrio motus fluidarum ac  
solidarum partium, seu harum in se invicem actionis  
& reactionis, consistat, adeoque sub his circumstan-  
tiis non solum vasorum vigor & qualiscunque oblite-  
ratio, unacum viscerum & partium musculosarum  
marcore, & progressivi humorum motus langvore,  
fluiditatem ac depurationem eorundem eximie læden-  
te, eveniat, sed & conveniens ordo debitusque ve-  
getus successus actionum harum conservatoriaturum  
passim satiscat, negligatur, turbetur ac invertatur.  
Si enim verum certumque est, quod nec in illud latissi-

D 3 me

me patens vitalitatis instrumentum, sanguinis nempe circulationem, directe & qua talem, nec in crasis & mixtionem hujus aliorumve humorum, positive auxiliis medicis alterandam, nec in vasorum viscerumque texturam & structuram, quacunque etiam ratione alteratam, emendandam, aliquam exquisitam suaque arbitrio dirigendam & in necessarium effectum deducendam potestatem vel jus quoddam habeat ars medica, quid sane manifestius tunc est, quam quod illa ipsa quoque per se ne quicquam fere in debellandis & curandis, imo ne quidem adeo multum in præservandis & avertendis senum morbis, dictis hisce causis potissimum innitentibus, valeat, adeoque recte GALENS L. 5. de tuend. sanit. dixerit, quod sanitatis tuenda causa consulere & præesse senibus, difficillimum sit. Licet enim, si defectibus suis prudenter obviam procedant senes, aliquos horum etiam sapienter pati malint, quam magis obturbare, ad minimum medicam sanitatem, periodo sue quadrantem, ad tempus conservare queant, tamen nec constans unquam, nec diurna illa est, quoniam per gradus vires corporis factiscunt, tacitisque senescunt annis, usque tum ultimus totam scenam claudit vitæ

F I N I S.




TE multum à teneris quem dulcis amavit  
Hygea,  
In cathedra præstas non sine laude *virum.*  
Maete, VIRI CHARI proles, depellere mor-  
bos,  
En vir adesto ægris! undique charus eris.

Hisce Nobilissimo atque Doctissimo Domino  
LIEFMANNO, Commensali suo favis-  
simo, de honoribus ex merito adeptis  
gratulari & prosperrimos in Praxi fu-  
tura successus adprecari voluit,

D. Andreas Elias Büchnerus,

Sac. Caesar. Maj. Archiater & Comes Pa-  
lat. S. R. I. Nobilis, Academ. Imper. Nat.  
Cur. Præses, Chymiae Prof. Publ. & Fac.  
Med. Adseff. Ordinar.



¶ E m u l i u s & c o m p a n y  
H  
1622 A M S C H U T T R I B L E S C O P E H E I D E N  
P O  
E u r o p e o u g h , e q u i d a c q u i s i t i o n e

D I A g r a m m a t i c a l l y



00 4 6318



SB

VJ  
18

Retro ✓ VJ 17



IN AVGVRALIS MEDICA,

DE

# NAMIA ICÆ IN SENIBVS,

QVAM

ERSITATIS MAGNIFICO,  
SIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,

AN. PAVLO JVCH,

ITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-  
PVBL, ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.  
ISENACENSIS ET GOTGANI CONSIL.  
IATRO, N. N. ACAD. CAESAR.  
CVRIOS. COLLEGA,

MEDICORVM ORDINE  
ANTIQUA HIERANA  
OSE INDVLGENTE,

PRÆSIDIO  
ALTISSIMI,  
LICENTIA

VTARI HONORES, PRIVILEGIA  
IMMVNITATES


EMNITER ADIPISCENDI,  
RVM EXAMINI SVBMITTET,

R RESPONSVRVS

IEDER. LIEFMANN,  
*Judissa-Lusatus.*

COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.  
TEMBRIS, MDCC XXXVII.

Typis HERINGII, Acad.Typogr.



## Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	B.I.G.	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	--------	-------

